

insolentes sermonem haberet; asserit diuinitus se, quod esset, existere: ut dictis suis faciat fidem. Euangelium uero eo dicit: ut non solum bona per illud effecta, sed & futura prae- tendat. cuius Euangelij uel nomine ipso auditores solatur. Quandoquidem non insua- uia quaedam & subobscura, qualia prophetarum sunt dicta, complectitur. Constat au- tem Dei id Euangelium esse, id est, patris: qui nobis illud ut est elargitus: ita & ipse si- mul innotuit. Nam etsi in ueteri haud quaquam erat lege obscurus: solis tamen Iudaicis hic noscebatur: neque ab illis ut pater est cognitus. Demum per Euangelium terrarum orbi sese ac filium patefecit: id ipsumque & per prophetas suos praenunciavit: Nam quum Euangelium, tanquam nouum aliquod & insolens praenotium homines detrectarent: ar- guit hoc multis saeculis gentium nationem praecessisse, fuisseque à prophetis longè ante conscriptum. Siquidem apud Dauid id sit Euangelij nomen compertum, quum inquit: Dabit uerbum euangelizantibus uirtute multa. Et Esaias ite: Quam pulchri sunt pedes euangelizantium pacem.

In ueteri lege de  
us solis Iudaicis  
erat notus.

Euangelij nomē  
Dauid, & Esaię  
notum.

\* In scripturis sanctis.) Neque enim sermone solum, sed scriptis etiam nitebantur prophetae: per eaque & futura praefigurabant: quemadmodum & per Isaac, Abraam, & per serpentem Moysi, & per manuum extensionem, & iugulationem agni uentura praenauerat. Quum enim magni aliquid moliturus est Deus, longè ante praedicit. Enim- uero quum multi (inquit) prophetae cupierunt uidere, quae uos uideris, & non uiderunt: sese in carne illos negat uidisse, nec signa quidem spectasse adfirmat, omnium in conspe- ctu per se factitata.

Duplex fi-  
lij ortus. \* De filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem.) Liquidò hoc lo- co duplicem filij ortum designat. Quum enim de filio eius inquit, id est, Dei: supernam creationem ostendit. Quum uero qui ex Dauid semine factus est adiicit: inferiorem hanc, & carnis originem exprimit. Secundum uero carnem quum addit: eundem esse uel secundum spiritum genitum patefacit. Nequaquam ergo est de simplici homine Eua- gelium promulgatum: quum de filio Dei esse constet. neque de simplici Deo: quandoqui- dem ad eum etiam qui ex Dauid semine secundum carnem sit procreatus, noscatur spe- ctare: ad eundem igitur utrunque id proculdubio, & Dei, & Dauid filium spectat. Pus- deat ergo suarum ineptiarum Nestorium: tamen si de Christi carnis hac genitura, haud secus faciat mentionem, quam & Euangelista fecere: perinde ac ex ea uelut ad supernam & coelestem illam originem auditores traducere. Siquidem dominus ipse primo uisus est homo, deinde Deus est cognitus.

Nestorius.

\* Qui praedestinatus est filius Dei in uirtute, secundum spiritum sanctificationis, ex re- surrectione mortuorum Iesu Christi domini nostri.) Superius dixit quemadmodum esset de filio Dei Euangelium promulgatum: nunc uero confirmat, & disserit quo pacto sit pro Dei filio cognitus Iesus, quum inquit: Qui praedestinatus est, id est, ostensus, con- firmatus, & iudicatus. Ab uniuersis nanque asserum est, hunc Dei filium esse. Quomo- do: in uirtute nimirum, id est, ex signorum, quae facitabat, potentia. Quinetiam per spiri- tum sanctificationis, id est, ex spiritu, per quem credentes sanctos efficeret. quod sanè Dei est munus. Insuper uel à mortuis resurgendo. Primus quippe, & solus, se suscitauit: qua ex resurrectione, dei est filius iudicatus, & spectatus à plurimis, quod profectò haud quaquam parui existimandum est. Sic enim & ipse inquit: Quum autem assumptus fuero, tunc co- gnoscetis quia ego sum.

Paulus & Bar-  
nabas segregati

\* Per quem accepimus gratiam, & apostolatam.) Attende quàm illud modeste nar- ret. Nil, inquit, est nostra uirtute actum, sed per filium cuncta accepimus. At qui per spi- ritum, & apostolatam acceperat, & gratiam, Paulus, inquit enim, iste uos diriget. Et spiritus ipse sic loquitur: Segregate mihi Paulum & Barnabam. Insuper per spiritum eundem, datus est sermo sapientiae. Quid multa? Sunt quidem & filij quae spiritus sunt, & contra, quae filij: & spiritus sint necesse est. Gratiam, inquit, accepimus & apostola- tum, hoc est, haud quaquam nostra uirtute effectum est, ut Apostoli fungeremur officio, sed gratia superna tributum: & qua uel persuadendi modus defluxit. Siquidem cir- cumuagari, & Euangelium praedicare, Apostolorum est munus: Dei uero, audientibus persuadere.

Apostolorum  
officium.

In sophistas  
theologos.

\* Ad obediendum fidei.) Haud sanè ad uerborum contentiones & quaestiuinculas su- mus, & ad inanes molitiones nos missi: sed ut fidei obtemperemus. ut & ceteri, inquit, à no- bis instructi, nihil renitendo fidem accipiant.

In omnibus